

ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, caritatem dissipat, sacramentum profanat?

XIII. Malum hoc, dilectissimi fratres, jam pridem coeperat, sed nunc crevit ejusdem mali infesta clades, et exurgere ac pullulare plus coepit haereticae perversitatis et schismatum venenata pernicies: quia et sic in occasu mundi fieri oportebat, praenuntiante per Apostolum nobis et praemonente Spiritu Sancto: In novissimis, inquit, diebus aderunt tempora molesta et erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impii, sine affectu, sine foedere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis quam Deum diligentes, habentes, deformationem religionis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex iis sunt, qui repunt in domos, et praedantur mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Et quomodo Jamnes et Mambres restiterunt Moysi: sic et hi resistunt veritati, homines corrupti sensu, reprobi circa fidem, sed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. Adimplentur quaecumque praedicta sunt, et appropinquante jam saeculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis adversario saeviente error fallit, extollit stupor, livor incendit, cupiditas excaecat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira praecipitat, Non tamen nos moveat aut turbet multorum nimia et abrupta perfidia, sed potius fidem nostram praenuntiante rei veritate corroboret. Ut quidam tales esse coeperunt, quia haec ante praedicta sunt: ita ceteri fratres ab ejusmodi caveant; quia et haec ante praedicta sunt, instruente Domino ac dicente: Vos autem cavete, ecce praedixi vobis omnia. Vitae, quaeso vos, fratres, ejusmodi homines, et a latere, atque auribus vestris perniciose colloquia, velut contagium mortis, arcete, sicut